



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:


- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

365

K 40



~~III 5 207~~
MEDITATIONES

QVOMODO

*Kw 365
K 40*

IVVENES IVRISPRVDENTIAE


SE DESTINANTES

IAM IN SCHOLIS

AD

STVDIORVM RATIONEM RECTE INSTITVENDAM

SINT PRAEPARANDI.



LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA

MDCCLXXXIII. 5

Sicuti Platonem ferunt Academiae suae foribus inscripsisse,
ἀγεωμετρητος ἄδεις εἰσιτω: ita nos pronunciamus, eos
haudquaquam ad haec iustitiae adyta admittendos, qui
neque studio linguarum et philologiae ad δύναμιν ἑρμηνευ-
τικὴν, nec sanis philosophiae praeceptis ad συνέσειν πολιτι-
κὴν virtutisque cultum atque observantiam animos consue-
fecerunt. Qui vero harum artium doctrina et exercitatione
ingenia praeculta sic habent et praeparata ut ad maiora
contendere recte possint, hi συν τυχῇ τῇ ἀγαθῇ ad no-
stram haec Iurisprudentiae scholam adeunt.

Matthaeus Wesenbœcius,

in tr. de studio iuris recte instituendo, ante
comm. in Inst. p. m. 34.

VIRIS
EXCELLENTISSIMIS, IVRIVMCONSULTISSIMIS
AMPLISSIMIS ATQVE DOCTISSIMIS
DOMINIS DOMINIS
CONSVLIBVS, PRAETORIBVS,
SYNDICO
ET CETERIS
COLLEGII SENATORII ADSESSORIBVS
PATRIBVS CIVITATIS CHEMNICENSIS CONSCRIPTIS
MERITISSIMIS
PATRONIS PIE DEVENERANDIS

HANC OPELLAM
CVM SVMMA PIETATIS TESTIFICATIONE
ANIMIQTVE SVBMISSIONE

D. D. D.

CHRISTIANVS GOTTHELF HÜBNER
CHEMNICENSIS
L. V. BACCAL.

1917

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO, ILL.

1917

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO, ILL.

VIRI
EXCELLENTISSIMI
ATQUE
AMPLISSIMI

Etsi iam pridem VOBIS hoc officium debuerim, ut VOBIS, VIRI EXCELLENTISSIMI, quorum tanta est beneficiorum in me collatorum magnitudo, ut eam oratione complecti haut possim, meam erga VOS observantiam et pietatem testatam facerem, et iam ante hos sex menses VESTRAE tutelae, quem libellum de vera Puffendorfforum patria inscriptum pu-

blici iuris feceram, committere in animum
induxeram; hoc tamen quo minus facerem,
cum, quam tenuis tantisque **VESTRIS**
NOMINIBUS non satis dignus esset
ille libellus, non ignorarem, timor me revo-
cavit, illud autem, ne tanta, quae **VE-**
STRAE benignitati et liberalitati benefi-
cia debeo, parum sentire viderer, quam-
quam vel hoc ipso tempore, nihil, quod a
rei novitate et gratia, ingenii ubertate et
dexteritate, dicendi denique generis elegan-
tia commendationem habeat, a me in me-
dium afferri posse certo sciam, illud igitur
in aliud tempus differendum non censi. Hoc
igitur tempore, cum, an **VOBIS, VIRI**
EXCELLENTISSIMI, rectissimo et
accuratissimo litterarum iudicio praeditis,
haec opella fuerit probata, non parum
dubius animi haeream, nihil mihi superesse

*video, nisi, ut decentissimis et obnixissimis
Vos rogem precibus, velitis non rem, quam
VOBIS offerre ausus sum, sed offerentis
animum, VOBIS addictissimum spectare
VOBISque certissimo persuadere, me
posthac dies noctesque, ut VESTRA
benevolentia, quam non precibus sed digni-
tate conciliandam mihi putabo, non indi-
gnus videri possim, esse elaboraturum. De
hoc igitur libro, pietatis erga VOS mea
teste fidelissimo, fronte serena velitis eum
suscipere atque hilari, nec aspernari volun-
tatem eius, qui, cum gratiam, qua refe-
renda nullum officium magis est necessarium,
iusto modo haut referre posset, ingrati
certe animi notam effugere voluit. VOS
vero ut Deus patriae meae, litteris et mihi
ad reliquae vitae utilitates conservet, et
omnibus bonis, quibus vera absoluitur feli-*

*citae, cumulatissimos reddat, atque VOS
sapientiae, beneficentiae, pietatis et amoris
in patriam, qua VOBIS nihil est carius,
uberrimos fructus eosque perpetuos perci-
pere sinat, id est, quod ardentissimis
precibus Deum O. M. oro atque obse-
cro. Dedi Lipsiae ipsis Cal. Septemb.
MDCCLXXXIII.*

PRAEFATIO.

Et si praevidebam, fore plurimos, qui me reprehendant, quod, quae ab aliis me doctioribus iam saepius dicta atque praecepta videmus, repetere voluerim, nolui tamen, cum animo quasi divinarem, iuventuti studiosae opinionum praecoccuparum mira varietate deceptae his paucis plagulis magnum adferri posse adiumentum, ab eo, quod institueram, discedere, sed, quae mihi sequenda petendaque, quae cavenda hoc in studio ineundo viderentur, paucis aperire. Illud enim unam mihi fuit propositum ut iuventuti in scholis versanti eidemque Themidi destinatae, hoc labore, quem eius causa suscipiendum putavi, qui ingenii doctrinaeque est modus, consulerem. Multos enim eorum, qui in scholis litterarum rudimenta discunt, perversa studiorum ratione uti et plurimarum rerum subsidia, quorum magna in legum studio elucet vis atque utilitas, contemnere cum viderem, nec, qui illos meliorem reduceret in viam, quemquam invenirem, breviter mihi faciendum censui, ut, quaenam sit artis nostrae ratio, quid ad eam pertineat,

quibus studiis adiuvetur et exornetur, breviter et strictim ostenderem. Quod meum consilium, vitio mihi verti debeat an laudi, alii me doctiores, quorum admonitiones magni faciendas semper censui, videant, ea me, si quid labis meo libello adpersum fuerit, diligenter moneant. Malevolorum vero calumnias, quibus nihil bonum laudeque dignum videtur, nisi quod ab hominis sagacissimi acumine excogitatum, in lucem profertur, non morabor. Hos enim ut homines nos esse meminerint, ea conditione natos ut ingenii praestantia doctrinaeque copia alter alterum praestet nec omnes divite esse instructos vena, eosque etiam non prorsus contemnendos, qui, cum natura parum valeant, aliorum studia in suos usus convertunt, et, quae dispersa diffusaque sexcentis voluminibus comprehenduntur, nec cuius libet usui patent, collecta in ordinem redigunt, admonendos censeo. Illud denique iucundissimum mihi erit, si, hunc libellum, per quem studiosis aditum felicem ad Iurisprudentiam munire volui, doctorum multis placuisse, indoctorum non paucis profuisse, fuerit compertum.

CAPUT I.

Exponitur consilii ratio.

Quod saepe ab iis, qui puerorum instituendorum consilia dederunt, prudenter monitum est, ut praecipitores, ne puerorum aetas nimiarum ac inter se non cohaerentium disciplinarum farragine obruatur, sedulo caveant et, investigata atque perspecta ingeniorum diversitate, iuvenum quemque pro ingenii ratione illis modo doctrinis imbuant, quae a natura vitaeque genere, cui destinatus est, non abhorreere videantur, id ab utilitate et veritate commendatissimum est. Cuius consilii ratio neminem praeterire potest; qui cogitaverit, quam male cum iis agatur, qui, cum officio aut alii arti inter illiberales relatae se dare volunt, antiquarum litterarum disciplinis instituuntur, ex quibus ad vitam recte degendam et artem melius exercendam nulla non modo praesidia petere possunt, sed quarum cognitione si fortean delectentur, a rebus suis sedulo et prudenter gerendis, avocantur: aut, quam parum illorum rebus consulatur, qui, cum rebus divinis earumque cognitioni se consecraverent, ad illas doctrinas adducuntur, quibus studia cum Theologia coniuncta non modo non adiuvantur sed adeo impediuntur. Quis enim est, qui Theologiae operam daturus, Hippocratis aut Galeni lectionem

vel legum XII tabularum studium tanquam necessarium, et a rerum divinarum cultoris rationibus haut alienum commendaverit? Etsi vero equidem non is sim, qui negem, si qui in eruditorum numerum referri velint, eos omnis humanae artis atque disciplinae rationes non ignorare debere, ita, ut, quales sint, quae sit earum vis, quid in iis eruditissimus quisque perfecit et qui tandem sint, quorum ingenio quaecunque ars creverit et ad altum dignitatis gradum sit sublata, bene norint, illud tamen iam per se patet, ut, quae humanarum virium est imbecillitas, quis ita doctus sit, ut in omnibus excellat ceterosque praestet, vix cogitari posse. Sapienti igitur consilio ab omnium gentium litteratarum prudentibus artium et disciplinarum magna multitudo in classes quasdam atque ordines relata deprehenditur, quorum unus ab altero ita est separatus atque distinctus, ut idem homo omnibus navare operam non debeat, sed ad eam eruditionis partem accedere, a cuius ratione ingenium haut abhorre visum est. Quo factum est, ut, si ad naturam recta et apta accederet institutio, artes magna incrementa caperent. Iisdem rationibus maiores nostros commotos in condendis studiorum universitatibus omnem litterarum ambitum in quatuor ordines, quos barbaramente Facultates dicunt, descripsisse, mihi persuasi, ut studiosi, litterarum uno alterove genere electo, omne ad illud unum excolendum et amplificandum adferrent studium. Quod quo sapientius quicquid alii contra dicant, est institutum, eo iniucundius est, id quod saepe videre licet, quod multis in scholis, quibus puerilis aetas ad humanitatem et ceterarum discipli-

narum in Academiis addiscendarum sublimitatem praeparatur, cum omnes nulla ingeniorum diversitatis ratione habita iisdem artibus eademque ratione instituuntur nec admonentur, cui potissimum arti quisque pro ingenii modulo et vitae futuro genere incumbere debeat, docendi discendique ratio parum apta ineatur. Quae ut confirmem illud unum afferam, quod saepius conspiciuntur, qui, quamquam se Iuris studio aliquando daturus operam profiteantur, Hebraeorum tamen in lingua, ex qua, si rem penitus inspexeris, nullos in iure nec romano nec Germanico fructus capere possis, in futuram oblivionem addiscenda oleum consumant. Multos etiam ex eorum numero, qui legibus cognoscendis aliquando operam tribuere volunt, cognovi, qui, cum, quae ex graecis litteris ad ornandam Iurisprudentiam peti possint praesidia, ignorarent, si quid ad has litteras pertinere putabant, illud ut inutile et suis rationibus parum respondens cum contemptu abiicerent. Quam perverse anticipatam opinionem nescio qui malus *δαίμων* tam alte multorum studiosorum animis impressit, ut, omni humanitate sprete aliisque relictis, abiectis graecis, antiquitate et antiqui temporis memoria repudiata, latina lingua paullulum delibata ad Iuris artem se accingant: illa ad Ictum vere pragmaticum hoc est negotiosum et formularium, non pertinere; laborem etiam qui ad utilitatem nequeat verti, nec scienti prosit, nec ignoranti obsit, esse miserandum. Qua opinionum perversitate, quam scholarum praeceptores tantum abest ut delere, ut in eo acquiescere soleant, iuvenes decepti, ad universalia studia transeunt, et hinc, studiorum

ratione male suscepta, abeunt mere pragmatici, nec, cum se beatos putant, quod formularum conficiendarum artem, ex qua rei familiaris angustiis levandis auxilii aliquid accedat, edocti sunt, in quo verae Iurisprudentiae vis ac potestas cernatur, ne coniectura quidem assecuti sunt. Paucis tam felicibus esse contigit, ut, errore perspecto, doctorum auctoritati et consiliis *) obtemperantes, rectam studiorum viam ingredi discant. Qua ex re quantum respublica detrimenti ceperit et adhuc cupiat, cum, quanta Bartolorum et Baldorum grex occupaverit fora, quantus sit leguleiorum et rabularum numerus, in omnium conspectu sit positum, quin sciat, quis est? Quod malum **) etsi prorsus recidi non poterit, ne tamen latius serpat, et obices obiiciantur, optimo cuique, qui de republica bene cogitat, curae cordique esse debet. Equidem hunc libellum, quo iuvenes studiosos scholasticos de studiorum finibus recte regendis adhortatus sum licet verborum lenociniis lumineque sententiarum destitutum, utilitatis gratia, multis non ingratum fore, spero. De me, qui id, ut aliorum utilitati et ego pro virili parte inservirem, sequutus sum, si haec monita, quae bene iacere atquae fundare studiorum rudimenta, quae sunt, ut verae dicere amant,

*) Vere cum aliis omnibus in negotiis suscipiendis, tum maxime in ponendis doctrinarum rudimentis, *ἰστρον ἢ βελη.*

**) — — Mala difficile est evellere, quando Coeperunt speciem iam retinere boni.

Aurel. de Ianuario resp. ICt. p. m. 37.

ἡμῶν τε πάντος, et iustum sequi cursum suadent, quibusdam in hanc studiorum viam ingressuris, adiumenti fuisse, animadvertero, laboris praemium sat gloriosum me reportasse existimabo.

CAPVT II.

De utilitate studii historici in Iuris disciplina.

Consilii mei ratio cum postulet, ut ordine quodam eas litterarum partes, quibus ars aequi et boni et eius studium imprimis et adiuvatur et exornatur, exponam, si ab historia eiusque ratione exordirer, quae, quantam non solum ad leges intelligendas sed ad omnes artes cum fructu addiscendas, quid? quod ad omnem vitam bene beateque degendam vim habeat *), sapientissimus quisque usu doctus confirmavit, non inepte mihi facere visus sum. De historiarum vero utilitate in universum dicere, cum nec ipsa res, quae satis nota, nec ipsa huius libelli ratio patiatur, hoc in argumento ita mihi versari liceat, ut, quaenam historiae partes maxime huc referendae et quid exinde lucis et utilitatis Iuris studioso adferatur, breviter ostendam. Sed facile quis videt, me

*) Nescire, quidante quam natus sis, acciderit, id est, semper esse puerum. Quid enim est aetas hominis, nisi cum memoria rerum veterum cum superiore aetate contextitur?

Cic. in Orat.

de rerum a Romanis, Graecis et nostris maioribus gestarum memoria esse dicturum, ut quam imprimis Iuris studiosus, tantum abest, ut leviter attingat et parce delibet, ut totam animo imbibat, necesse est. Patria enim nostra, quibus legibus regitur atque continetur; earum magna pars ad Romanos auctores referenda est. Patria enim instituta moresque cum ad causarum rerumque obviarum varietatem et crescentem multitudinem cognoscendam et definiendam non sufficerent, quamquam ultimae antiquitatis simplicitas, ubi boni mores, teste *Tacito*, plus valebant, quam alibi bonae leges, peregrinarum legum auxilio non indiguerat, Romanorum leges prudenti consilio a multis inde seculis receptae in foris nostris usu et auctoritate florere. Quae ipsae cum non unius hominis sapientiae sed multorum prudentissimorum virorum auctoritati et ingenii originem debeant, quorum solertia, quod rude visum est, perpolivit, quod dubium, confirmavit et praeterea mira sit earum varietas atque, quae fuit temporum ratio, discrepantia, quid mirum, illas, nisi ad interpretationem historiarum praesidiis accesseris, intelligi haut posse? Iuris Consulti enim munus, quod non solum in nuda legum cognitione continetur sed in eo etiam ut earum vim ac sententiam animo teneas, a nemine, nisi *ἰσοκράτεια* impleri poterit. Cuiusnam igitur generis sit haec vel illa lex, unde dicta, quae eius sit ratio ac vis, quem referat auctorem, quid in civium animis effecerit et quamdiu auctoritate et valore floruerit, nosse, cum sit Iuris Consultissimi cuiusque, historiarum fontes ex quibus haurias, tibi sunt adeundi. Ro-

manarum certo legum codex, nostri juris non exigua pars, quae studiosorum assiduitatem desiderat, a nemine, nisi rei romanae peritissimo poterit intelligi, qui non ignorat, quorum virorum fortitudine et prudentia Romanum Imperium conditum, auctum atque amplificatum sit, quid Romae domi militiaeque praeclare sit gestum, quibus legibus atque institutis vita privata contineretur etc. Historiae vero etsi omnibus partibus ita quis operam dare debeat, ut, quid actum sit, quo consilio, quo euentu, satis constet, et rerum causae in promptu sint, vel casus, uel temeritatis vel sapientiae, quid deinde domi aut foris praeclare et sapienter vel secus sit institutum, qui viri fama, rerumque optime gestarum gloria excellerint et quae eorum fuerit natura et ingenium *Cic. de Orat. lib. 2. c. 16*; Iuuenes tamen eos, quorum causa haec scribo, in studio historico ad ea praeprimis, quae ad leges pertinent, attendere, earum fata atque vicissitudines a bonis novae urbis auspiciis ad senioris aetatis infelicitatem pernoscere velim.

Varias enim mutationes pro temporum hominumque varietate, jus nostrum sustinuit. In legum vero diversitate, discernendum maxime est, quid prius, quid posterius sit, et legum tempora observanda. Quod facili negotio procedet, si, electis quibusdam viris iisque praestantissimis in hos omnem mentis aciem convertere volueritis. Sic ego in romana historia Romulum cum Appio Claudio, Augustum, Hadrianum, Constantinum et Iustinianum inprimis intueri soleo, et, quid ab unius tempore ad alterius originem actum sit, investigare. Deinde, ut historia salubris ac fru-

gifera sit, antiquae leges atque instituta sunt ita cognoscenda, ut intelligas, an inde, quod quis imitetur, capi possit. Ad haec nisi quisque juris studiosus acriter animum intendat, parum eum esse profecturum, certo mihi constat. Illud tum verum ut BALDUINI in *Instit. hist. univ. eiusque cum Iurispr. conj. Hal. 8. p. m. 27* verbis utar, hanc historiam romanam esse unam viam atque rationem, qua pervenire possis ad illam rerum divinarum humanarumque cognitionem, quae nostros animos in excelsa quadam veluti specula collocare possit, ex qua circumspeciamus. Omne igitur studium ad hanc historiam conferendum est. Quam, quibus ex fontibus haurire, Vos Iuvenes, debeatis, cum facile videtis, me ipsos rei romanae scriptores romanos eosque qui a prima classe Classici plerunque dicuntur, commendare, non est quod fusius exponam. *Livium* igitur et *Suetonium*, *Tacitum*, *Florum*, cum *Vellejo* ita legatis velim, ut ex illis latine non solum dicere et scribere, sed, quod rei caput est, rerum a Romanis gestarum et memoriae veteris ordinem discatis. Inter recentiores vero *Gibboniorum* *), *Montesquiesiorum* **) et *Fergusoniorum* libros utilissimos maxime commendo. Graecorum deinde historiam, utpote cum Romanae rei memoria tanta familiaritate conjunctam, ut unam ab altera vix separare possis, non negligendam censeo. Nostrae

*) Geschichte der Abnahme und des Falls des röm. Reichs. Aus dem Engl. Wien. 8.

**) Considerations sur les causes de la grandeur des Romains et de leur cadence. Bis idioma nostro prodiit.

tum patriae historia, etsi vel ideo, quod non de-
cet rei externae peritum in suis esse hospitem, di-
ligenter debeat tractari summo studio imprimis
a juris patrii, quod inde lucem capit, cultore, est
discenda. Iura enim patria, quae publica, quae
privata vinculo quasi et cognatione cum historia
conjuncta, a nemine nisi rerum Germanicarum
bene gnaro explicari possunt atque intelligi Aucto-
ritate igitur et exemplis summorum Ictorum, quo-
rum multos, si de ICTis *ἱστορικωτάτοις* scribere esset
animus, in medium adferre possem, ad cognos-
cendam, patriae historiam, vos permoveri velim.
Ictorum enim clarissimus quisque hanc studiorum
conjunctionem, quam tantum in modum commen-
do, semper necessariam duxit. Vestrum est,
harum litterarum utilitatem ita vobis adpetendam
putare, ne ab illis otium vos abstrahat aut som-
nus retardet. Illud vero maxime e re erit, si,
quantum ceteris ad res suas obeundas, quantum
ad ludos celebrandos, quantum ad alias volupta-
tes et ad ipsam requiem animi et corporis conce-
ditur temporum, quantum alii tribuunt tempesti-
vis conviviis, pilae et aleae, tantum ad haec stu-
dia sumseritis? Sed quid pluribus? En ipsa *Bal-*
duini, quo nemo hac in re neque prudentior ne-
que gravior rerum aestimator et iudex extitit, ver-
ba, *l. l. p. m. 118*. „Quo vero magis inquiremus,
„ cur haec conjunctio requiratur, magis sentiemus
„ tam esse necessariam, quam unius corporis indi-
„ visae partes aut membra divelli neque possunt
„ neque debent. Egoquidem nondum satis statuere
„ possum, plusne lucis historia ex Iurisprudentiae li-
„ bris an haec ex historicis monumentis capiat. Sed li-
„ quido affirmare possum, sic utramque essecom para,

„tam ut altera alterius poscat opem.“ Et *p. m. 179*: „Ego dicere soleo, me et legum libris ad historiae memoriam consecrandam, et historiae monumentis ad legum volumina excitatum fuisse.“ Iuris deinde magna pars etsi in ecclesiasticis instituti ver- setur, canonumque et decretalium intellectus, hi- storia utraque et civili et sacra multum iuvetur, haec tamen melius in lectionibus Academicis ad- discetur. De hac vero re, quae, cum se ipsa commendat, multa vix eget commendatione, haec satis dicta sunt. Certum enim est, veteres aequae ac recentiores Ictos optimos, laudabili ad- modum exemplo, non hoc solum sibi datum pu- tasse, ut causas agerent controversas, de iure, aequo bonoque responderent et consulentibus ca- verent, sed, ut legum vim et potestatem tene- rent, adeoque ad interpretationem eã adferrent adminicula, sine quibus de ipsis legibus accuratum haut ferri potest iudicium, an utiliter sint rogatae, emendationemne salus publica requirat, iisdem ipsis semper curae cordique fuisse *).

CAPVT III.

Quansum lazarum litterarum accuratior cognitio Iuris studioso prosit, ostenditur.

Non dubito, fore plerosque, qui hanc disputa- tionis partem inutilem et non necessariam, quippe

*) *E. I. Eisenbarri oratio in academia Iulia 1667 de hac materia habita, et inserta commentario de fide historica Helmstadii. 1702. 8.*

qua aliis sexcenties dicta repetantur, iudicent. Sed hi erunt fere, qui morum iuuenilium ignari, ex sua doctrina ceterorum ingenia metiri solent et existimare, si quid sibi satis expositum, idem ceteris omnibus esse. Hi, si cogitauerint, iuuentutis scholasticae animos occupasse opinionem quandam praeiudicatam, qua sibi, tantum consumere et perdere his in litteris otium, ex quibus aliquando parum praesidii ad actionum formulas concipiendas causasque in foro vernaculo sermone agendas possit peti, operae pretium non esse, male persuasere: non admirabuntur, me ad eradicandam ex teneris iuuentutis animis tantam opinionum pravitatem, vel notissima quaevis attulisse. Qua in re, quanquam multa de huius studii ratione recte suscipienda et de auctorum, qui a praestantia et excellentia Classici dicuntur, lectione maximi facienda et de via, qua, si quis recte hac in re velit versari, incedere debeat et tandem de fructu ex his studiis redundante universe dicere possem, his tamen, quae quotidie fere a praeceptorum optimo quoque disputantur, omissis, id modo, quid iuveni Themidi dicato potissimum his in litteris spectandum, quorum lectio *) praepr-

*) Non possum, quin hoc loco qui sequuntur autores ita commendem, ut maiori studio fieri nequeat, Ub *Folietam* de usu et praestantia latini sermonis *Zeunii* lib. de usu latini sermonis. I. C. *Harlesii* introductionem in notitiam litteraturae romanae imprimis scriptorum latinorum. I. G. *Walchii* historiam criticam linguae latinae. Lips. 1729. 8. *Zeunii* introductionem in lat. linguam len. 1779. 8.

I. I. *Eschenburg* Handbuch der klassischen Litteratur enthaltend Aichaeiologie, Notiz der Klassiker

mis sit commendanda, breviter persequi, constitui mecum. Iurisprudentiae maior pars cum in legibus romanis earumque intelligentia, quae viam quasi munit ad Iuris reliquas partes, occupata sit, neminem nisi Latinae linguae pertissimum ad magnam in Iuris doctrina laudem pervenire posse, nemo non facili negotio videt. Qua tandem ratione legum romanarum volumina interpretationis opibus illustrare poteris, nisi Latini sermonis cognitione accurata sat instructus accesseris. Icti est, nosse huius linguae scriptorum praestantiam, auctores ipsos ita legere, ut exinde vel ipse Latine dicere ac scribere ita possit, ne quid desideres eorum, quae Latinos scriptores commendant. Cuius sermonis cum tantus sit honos atque excellentia ut in eo per omnes aetates culto, doctissimus quisque eo discendo progrediendum putaverit, ut aureae Latinitatis scriptores dicendo exprimeret, ceterosque intelligeret; Iuris studioso illius studium indefessum erit utilissimum, ut legum verba tenere non sufficere opinetur sed in earum rationes, quas saepe aliunde petere non poteris nisi ex Latinorum scriptorum monumentis pulcherrimis, inquirendum esse putet. Sed, ne quis, modicam atque tenuem quandam huius linguae cognitionem sufficere putet, monendum puto, te, nisi ruditatem primaque fata seu infantiam eius, iuvenilem deinde aetatem cum virili et tandem senectutem pernoveris, non recte satis in interpretandis legum Romanorum reliquiis versari posse. Sed etsi

etc. Berl. 8. C. D. Bekkii praeceptoris Summi athenum colendi, commentarios de litteris Latinis et scriptoribus utriusque linguae. Lips. T. I.

ex rei romanae incunabulis nonnisi paucarum legum fragmenta temporum infelicitas ad nos pervenire passa est, horum tamen ipsorum magnam esse in explicandis seriorum aetatum legibus vim atque utilitatem, neminem latere potest. Cognoscendae sunt leges cum regiae tum decemvirales, quas non omne temporis iniuria delevit. Sed, quid de ipsis iuris nostri libris, quos vulgo Iuris corpus vocare consueverunt, dicam! qui omnes ita conscripti ut nemo, nisi latinus eos intelligat: quos, qui in nostrum sermonem verteret, quantum equidem scio, necdum fuit, nec, si de his rebus rectum iudicium ferre valeo, erit. Latini igitur scriptores diligenter sunt legendi et maxime illi, quibus lux ad leges interpretandas accenditur. *Livius* igitur, ex quo ut imperii romani memoria ita latini sermonis elegantia ac decus peti potest, ut a iuventutis nostrae manibus teratur, omnino optandum est. *Livianarum* historiarum assidua lectio, per quam rei romanae origines et fata, bella a Romanis fortiter et felici successu gesta, quae deinde ab iis domi militiaeque prudentissime sunt instituta, legum a primis urbis recens conditae initiis ad Augustum usque varietatem etc. cognoscere potes, quantum iuris studioso profuerit, vix oratione comprehendi potest. Nihil dicam de illius genere dicendi, a venustate et elegantia, quae imitatione est exprimenda, commendatissimo: illud unum addo, quod *ICTUS* in legum rationibus ex historiae antiquitate eruendis aliisque in partibus, *Livio* duce, mirum quantum adiuuatur. Huic deinde *Caesarem*, *Suetonium*, *Tacitum* optimos scriptores et fide summa insignes, comites addere non ineptum erit. Sed ad perspicendam et imitando as-

sequendam veram latinitatis vim atque praestantiam, *Cicero*, cuius unius lectione assidua latinam orationem efficias pleniorē, maxime a nobis colendus est. Ea enim quamquam sit quorundam ICTorum fora obambulantium barbaries, qua Ciceronis libros negent ad causaram patronum pertinere, quorum elegantia a formularum incondita facie longius absit: illorum tamen demētiaē occurrere cum operae pretium non sit, Iuenum optimum quemque monitum volo, ut ICTissimorum auctoritatem et exempla secutus, ex Cicerone emanu non dimisso, sapientiae veteris, antiquitatis praesidia, artem bene et apte dicendi, pulchri deinde et veri sensum cum amore honesti petere diligenter studeat. Ciceronem enim, quem imitentur *), si qui sibi proposuere, in omni doctrinarum genere et potissimum in dicendi scribendique elegantia omni tempore vere docti extitere.

*) Ne haereas in illa haeresi, quae magnos olim viros decepit, quibus persuasum, nefas esse vocem aut phrasin admittere, quae Cicero non usus est. Inter eos *Bembus*, qui, cum melius scribere posset, maluit, elegantiae studio plane singulari, interdum flectere orationem et enervare. Hanc vero ineptam et difficilem Ciceronis imitationem docti iamdudum exploserunt, et quae melior via sequendi priscos, quasi indice digito monstrarunt. Ciceronis vero imitatio est maximae operae nec unius diei. Ipsum legas nec semel nec frigide, sed cum cura quadam et constantia. Verba, phrases, ordinem, periodos, harum initia, media, fines, connexiones: item inuentionem rerum ac dispositionem et totam denique orationis compositionem perpendas et sic, ut inde aliquid simile efficias conf. *C. Bemannii* manud. ad lat. linguam. *Ernesti*, *Schelleri*, *Hassii* libri, suo loco laudati.

Sed, caeterorum aeneae et quae hanc excipiunt aetates, scriptorum fuco ne quis ita capiatur ut in dicendo eorum rationes sequatur, et in vitia illorum incurrat, cavendum est. Nam, cum diu vera latinitas Graecis Musis alta, viguisset, sensim deflexit a pristina venustate et varias, ut sunt res humanae, vicissitudines ac fata experta est. Sed ut eo magis de harum litterarum utilitate et necessitate constet, illud omittere nequeo, quod non solum Philologi sed etiam summi quique ICTi illas sic in deliciis habuerint ut maximam iis operam impenderent, quæ ad aurei seculi venustatem et elegantiam quam proxime accederent. Haec lingua, quod, qui eam didicisset, vere sapere videbatur, eruditorum propria est dicta: atque a majoribus sapienter est constitutum, ut non solum prima puerorum aetas hujus linguae antiquitate imbueretur sed ut vel aetate et doctrinae copia provectorum gravitas, si in qua studiorum universitate publice de aliqua re esset disputandum aut scribendum, hac non alia uteretur. Qua in re etsi non negaverim, doctorum multos extitisse, qui, cum antiquitati nimium darent, aetatis nostrae felicitate et litterarum gloria spreta, nihil fere imitatione dignum nisi quod apud antiquos relatum legissent, iudicarent, hoc tamen nostro tempore nemo fere, si ab uno alterove discesseris, doctus superest, quin non solum eorum morositatem, qui antiquitatis praestantia capti, recentiorum temporum laudes non vident, sed etiam illorum temeritatem, qui, sapientia veterum parvi habita, nostrorum sola merita aequalium laudant et suspiciunt, fugiendam censeat. Eruditi tum hac latina quasi communi et universali, omni tempore

usi sunt: haec est cuius in inscriptionibus, nummis ceterisque in rerum praeclare gestarum memoriam et laudem extractis monumentis magnus usus est celebritas: quam, ut quisque accuratissime callet, ita elegantissimus atque doctissimus reputatur. Vos, igitur, iuvenes, vos, quibus aliquando aequi et boni artem addiscere constitutum est, ut haec litterarum studia colatis et maxime expetenda censeatis, etiam atque etiam moneo *). Qua in re ut quis melius proficiat cum quaelibet lingua suas habeat proprietates, quas dicere solent Idiotismos, semper secundum linguae discendae genium est cogitandum. Qua de re neminem legisse poenitebit *Georg. Chr. Taubneri* diss. de latine germaniceque cogitandi discrimine. Lips. 1740. 4. Cui socius adiungi poterit *Vir Clariss. Carl Traug. Thieme* in diss. de linguis methodice discendis Lips. 1775. Orationis vero virtutes ex ipsa Classicorum lectione diligenter et assidue instituta aestimandae et imitandae sunt. Latine uero dicendi et scribendi facultatem ita discendo assequi ut in utroque oratio a puritate, perspicuitate et elegantia commendetur, a rationibus vestris non alienum esse censeatis. Ad metam vero praepositam ut faciliori via perducamini, doctorum virorum studiis, qui edidere stili praecepta, ut

*) Cauendum enim, ne, quod *Ianuario* l. l. p. 34. de insulsis Iuris studiosis loquens, dicit, in vos cadat:
Si legem recitat nec cuncta, nec integra verba
Redidit, et illorum vim tenet oretenus;
Omne interpunctis discrimen vocibus aufert.
Iunctaque dissolvit, dissoluenda ligat,
Syllaba ubi brevis est, longam facit, atque ubi longa
Ille brevem: tantum tutus in aucipiti est etc.

Heineccium, summum Philosophum, Philologum eundemque Ictum, qui maxime Iurisprudentiae studia cum humanitate coniunxit, *Gessnerum*, *Ernestium* in initiis rhet. *Schellerum* in praeceptis stili bene latini, *Hassium* in elegante libro, de causis stili latini, nominem, uti vos non poenitebit. Sed diligentia quadam et assiduitate indefessa, incitataque animi contentione, sine qua nihil praeclari efficitur, est opus. Nam efficienda est ex animo mollities ista atque levitas, quae assiduo unius rei studio facile offenditur, et mens novarum semper rerum cupida et studiosa cohibenda est: nec maior ingeniis pestis quam nolle uni curae inhaerescere. Sed ad percipiendas doctrinas gravissimas, ut, quod dicitur, non multa, sed multum legatur, hoc plane est necessarium. Sic continget, ut, quos *Cicero* de Ictis vulgaribus loquens de Orat. Lib. I. c. 55. leguleios, cantores formularum, cautos et acutos actionum praecones, aucupes syllabarum vocat, tales non evadatis. Eloquentia enim et omnis humanitas sunt inter se pares ac dignitatis sociae, alteraque alterius opes eget*). Si qui vero sunt, qui putent, iuvenum teneram aetatem tot disciplinarum cumulo non obruendam, esse enim verendum ne discipuli vel

*) Humaniores litteras Iurisprudentiae magnam accendere lucem, docuerunt *I. Barbeyrasius* in orat. de usu humaniorum in Iurisprudentia. cf. etiam *Laur. Andr. Hamberger* in progr. de utilitate ex humanioribus litteris in Iurisprudentiae studio capienda in eius opusculis cum praef. *I. G. Essoris* editis Ien. 1740. p. 285. De latinitate veterum Ictorum conf. *C. A. Duker* Lips. 1773. 8. edente *I. P. Schmidio*. *E. M. Ckladenius* in diss. de ambitu Iurispr. elegantioris Wit. 1747. 4.

desertores studiorum efficiantur, vel cum magno labore saepe etiam cum diffidentia serius ad id perducantur, ad quod leviori via ducti, sine magno labore et sine ulla difficultate maturius perducipotuisent; eorum errorem, si latinae linguae studia quae nihil sunt, nisi via, qua ad maiora progredimur, quae etiam ut quam maturissime incedatur, cuiusque studiosi et reipublicae interest, mox altioribus disciplinis cedere debere cogitaveris, facile deprehendere poteris.

CAPUT IV.

Antiquitatum notitiam huc esse referendam ostenditur.

Antiquitates *), de quibus nunc dicendum est, nescio quomodo in odium venerint certorum hominum, qui quaestuosam et formulariam Iurisprudentiam amant, quasi loquacem aliquam mu-

*) v. *Thomasius* seu *Frank* in praef. Sigonii libro de iudiciis Populi Romani praemissa, qua agitur, de usu vario studii antiquitatum imprimis in studio Iurisprudentiae romanae. Antiquitatibus romanis operam daturum prodesse possunt *Nisusporiorum*, edente *Gessnero*, *Canteliorum*, *Cellariorum*, etc. libelli pernoti: imprimis vero *C. A. Nitzsche*, Beschreibung des sittlichen, moralischen und politischen Zustandes der Römer. Erf. 8. und ejüsd. Beschreibung des sittlichen etc. der Griechen. *Dilenius* Antiquitäten Lexikon. *Hochbeimers* System der Erziehung der Griechen. 2 B. 8. Ueber Sitten und Lebensart der Römer in verschiedenen Zeiten der Republik von *Meierotto* 1770. 2 Th. 8. ut alios, quos addere possem, omittam.

lierem et clamosam, uti *Klotzius* in act. litter. V. l. p. 97. dicit, longisæ hamatis digitis terribilem, sibique inter numerosum Bartoli et Accursii genus satis beati videntur et omni antiquitate neglecta nil nisi quod in foro usu frequentatur, addiscendum censent. Ab horum hominum illiberalitate, quorum ars indigna est hominis ingenui studiis, ne in eiusdem vitii turpitudinem incurratis, vos cavere velim. Sed de antiquitatum studio disserenti, non est animus, defendere atque commendare rationes eorum, qui minutiarum amore haut scio an insano decepti, si, quæ togæ sagique forma, quot fuerint Capitolii ianuae, quod calceorum genera formæve, quanta ciborum in epulis interperantibus serioris rei romanæ aetatis varietas et luxuria, et, si quæ aliae sunt huius generis nugæ quæ ignorantibus non obsunt, scientibus non præsent; optime secum actum esse existimant. Equidem antiquitates Latii aut Græciæ exposituro, nihil aliud agendum esse censeo, nisi, ut, qui mores harum antiquarum gentium, quæ instituta in rebus divinis peragendis, publicis et privatis, qualis fuerit disciplina privata, et imperii fata, magistratum munera, iudiciorum rationes et formam, atque ordinem romani processus ostendat: quæ rite observata et domi prodesse et aliis artibus et disciplinis lumen præferre possunt. Ceteras autem antiquitatis partes, de re vestiaria, agraria, de epulis vel triumphorum solennitate et similia, quorum tam insignis utilitas non deprehenditur, etsi non prorsus abiiciendas, leviter tamen modo attingendas putaverim. Tibi uero, nisi huius romanæ gentis mores atque instituta cognita fuerint, universa rei romanæ memoria vix poterit teneri.

Quibus demum cognitis, unde evenerit, quod Romani ad tantarum virtutum laudem ascendere et respublica tantam in molem crescere potuerit, tibi constabit. Quae res effecit, ut multi, eorum praesertim, qui ad rempublicam accedere volebant, antiquitatibus, ut inde, quid imitandum in sua republica aut fugiendum, desumerent, assiduam operam darent. Quos secuti sunt multi, qui, licet ipsi capessere nollent rempublicam, ad obscuritatem in veterum libris dispellendam et expediendam multorum locorum difficultatem, antiquitatis, cuius mirifico amore tenebantur, praesidiis usi sunt. Illius vero utilitatem scholae recentiorum Ictorum, qui, fugata glossatorum barbarie, humanitatem amare coeperunt, cum, si qui illius imperiti in legum studiis versari vellent, eos in eisdem errores, quorum causa glossatorum barbara gens toties vapulabat, incidere vidissent, iam diu cognitam habuere. Glossatores *) enim,

*) Glossatoribus non absimiles quosdam novi scholarum praeceptores, qui ex antiquorum rituum ignorantia in interpretandis auctoribus antiquis saepissime errarent. Sed sunt etiam, qui ex inertia et segnitie, *majorum mores sequuti*, licet meliora noverint, auctores classicos, *exponendo* et, quod dicunt, *resolvendo* in succum et sanguinem vertere curent, et ita puerorum ingenia corrumpant et a veri pulchri-que sensu avocent. Quorum ratio haut scio an acriori nota digna sit quam illorum. Vtrumque genus hacin re mirifice peccat. Ipse doctorem quendam scholasticum sic vertentem audivi verba c. 18. lib. I. *Cic. de Off.* „contra hostem aeterna auctoritas esto,“ *gegen den Feind ist ein ewiges Ansehen*. Quis vero haec. legens est quin rideat? nolo, ne lectori taedium moveam, similes versio-

eius reipuelicae ignari, cuius leges ac iura tractabant, tanquam illuni sine lumine nocte oberrantes saepe lapsi sunt, ut bene M. A. *Muretus*. Non opus est, ut, quae ab aliis sexcenties iam allata sunt exempla ignorantiae antiquitatis in Glossatoribus notatae, qua factum est ut in derivando, interpretando et adplicando saepe hallucinarentur, ea omnia repetam. Nostro vero tempore, quo omnis bonae artis studium tantopere feruet, illa ignorantia, seculi barbariei condonanda, ferri amplius non potest. Haec studia, sine quorum ope, multarum legum iuris nostri Iustin. ne tituli quidem intelligi possunt, maxime sunt colenda. Exempla si quaeruntur, in promptu sunt Institutionum nostrarum tituli, de tutela fiduciaria, servitutibus praediorum rusticorum et urbanorum, agnatorum successione et cognatorum gradibus, de bonorum possessionibus, de in ius vocatione, de iudiciis publicis etc. quos omnes, nisi antiquitas te docuerit, quae fuerint patronatus iura, quid pactum fiduciae, quid inter rustica praedia et urbana, agnatos et cognatos, civilem et praetoriam successionem, antiquam et Iustinianeam rei in iudicium vocationem interfuerit, quae tandem ratio iudiciorum apud Romanos fuerit et modus, intelligere, non poteris. Nam si de ulla re certa stat sententia et, quid verum sit, innotuerit, id certo de hac re praedicare licet, quod nemo Iurisprudentiae laude florere et in nostra arte excellere possit, nisi antiquitatem amaverit et priscorum rituum memoriam coluerit. Quo igitur iure ipse

nes, *Cic. Philipp. 2. c. 42.* nihil est lege gravius.
Plani. Pers. IV. 9. v. 30 nonne antestaris? afferre.

Iustinianus I. pr. de testam, iuris studiosum antiquitatis nihil penitus ignorare debere, monuerit, per se patet. Nullo enim modo aliquis in ipsa interpretatione legum, in quarum obscuritate et subtilitate interpretes toties haerent, sine antiquitatum adminiculo, recte versari potest. *Cicero*, licet quidam dissentiant, iuris civilis idem non imperitus, sic in lib. de Orat. „plurima, inquit, et in omni iure civili et in duodecim tabulis antiquitatis effigies quod et verborum prisca uetustas cognoscitur, et actionum genera maiorum consuetudinem vitamque satis declarant.“ *Labeo* etiam, summus sui temporis Ictus cuius magna laudis et gloriae erat celebritas, teste *Gellio* N. A. lib. 13. c. 12, nihil ratum pensumque habuit, nisi quod iustum sanctumque esse in antiquitatibus legisset. Sed, iam *Cato* maior seu pater antiquitates tanti fecisse fertur, ut Originum libros, (v. *Corn. Nepos* in *Catone* cap. 3.) quibus persecutus est res a Latii populis gestas et unde quaeque Italiae civitas orta sit, componeret. Quod vero ab illis, qui florente republica romana iidem ipsi florent, librorum etiam antiquorum, quibus nos temporis iniuria caremus, magna copia erant instructi, factum esse videmus, id a nobis, quibus reipublicae status diversus, diversa imperii forma, mores alii, cum illorum legibus obligemur, quarum interpretandarum et adplicandarum necessitas imposita, summo studio faciendum est. Iuvenes igitur, qui studia sua vitamque legum disciplinae consecraverunt, summorum Ictorum ut *Cuiacium*, *Godofredos*, *Heineccium*, *Bachium*, *Sammetium*, *Püttmannum* proponam, qui omnes leges cum romanis tum germanicas antiquitatis luminibus il-

lustrare studuerunt horum igitur exemplis, ad imitationem in conspectu omnium positis, moveri et ad antiquitatem colendam excitari maximopere velim. Illorum vero ratio, ab huius scholae principe iure *Cuiaciana* vocata, ut perpetuo floreat, atque virorum eruditorum studiis, abiecta proavorum barbarie crescat, maxime optandum est. Vos enim, iuvenes humanissimi, ad hoc estis nati, atque educati, ut pro uestra parte patriae consulere possitis: hoc poscit patria, hoc vult *Principis* nostri *Serenissimi* sapientia (v. *Mandat* vom 19. Febr. 1793. wegen Qualifizirung iunger Leute zu künftigen Dienstleistungen) in qua lege de his omnibus multa sapientissime sunt constituta. Sed, quae insuper addi possent de libris in quocunque antiquitatum genere praestantissimis, de accurata temporum in hoc studio distinctione, ea, cum ab academicis doctoribus plenius enarrari soleant et in universitatis studiis uberiorum fructu addiscuntur, commode a me omitti possunt.

CAPUT V.

Sermonis graeci studia ab ICti rationibus non abhorrens, demonstratur.

De litteris graecis, ab impudentia vulturum forensium tanto contemptu habitis, me dicturum non avocare potest vox acerba glossatorum et priorum et nostrorum temporum, qui, si quid graeci in eorum conspectum venerit, indignabundi, graeca sunt, non leguntur, seu, sequitur Graecum, non

C

intelligi potest, adclamant. Quos clamores qui plerumque excitare solent, exiis sunt, qui in foris habitant rixarumque varietate detenti cerebrum linguarum studio distrahere non solent et sensu veri et pulchri destituti, nisi auream *πρᾶξις*, nihil vident. Quorum auctoritate et exemplis ne iuuenum tenera aetas corrumpatur, illos, ut velint cogitare, satis iam detrimenti reipublicam ex eo capere, quod ipsorum ars solis in formulis cantandis sit posita; quod vero a iuventutis imbecillitate manus rapaces vix cohibeant, non esse ferendum, rogatos volo. Lingua uero graeca etsi a multis iuris studiosis, qui eam a suis rationibus longius abesse putarent, contempta iacuit, est tamen, si quis ad veri *ICTi* imaginem, animis semper praeponebam, accedere velit, cum ob utilitatem tum ob suavitatem omnibus commendanda *). Manat enim graecarum litterarum utilitas late diffusa per omnes eruditionis partes et formas, nec quemquam, nisi huius bene gnarum, in qualibet disciplina excellere posse mihi persuasi. Nulla enim fere ars aut disciplina est, ad quam excolendam et amplificandam nihil praesidii ex his litteris adferatur. Quod ut de sacrarum disciplinarum studiosis, quorum doctrina uno fere hoc sermone continetur, ita de artis salutaris cultoribus est dicendum, quibus ut Hippocratis et Galeni libros temporis edacitate nobis non ereptos, formularum deinde dicendi et terminorum arti suae propriorum et maxime ex

*) *Paul Kraut* or: de lingua graeca etiam futura *ICTo* non utili modo sed quodam modo necessaria.

Linguae graecae fata memoriae prodiderunt
Walchius et *Harlesius*.

graecis depromptorum obscuritates intelligant, hae litterae sunt cognoscendae. Philosophiae tum cultores ut sapientiam Graecorum ex fontibus ipsis petant, graecitate nequeunt carere. Omitto eos, quos dicunt Philologos, quorum tota disciplina in linguarum varietate cognoscenda, scriptorumque omnis linguae reliquiis interpretandis est posita. Quod de ceteris artibus recte affirmatur, de iurisprudentia, quae multum hoc sermone, ex quo, veluti ex thesauro, omnes, quod in suos usus convertant, capere possunt, adiuuatur et exornatur, valeat necesse est. Hoc enim inter omnes constat, te, nisi Graeciae linguam, mores, instituta, et antiquitatis memoriam noveris, in latinis litteris parum esse profecturum. Latinus enim sermo etsi satis sit antiquus, tamen, cum verborum inopia laboraret, quod sibi deerat, a Graecis sumsit, id quod non solum de magna vocum copia, sed etiam de ipsa verbosum et sententiarum coniunctione et orationis compositione valet. Vt igitur, si in una alterave harum linguarum cum fructu versari voveris, utrique diligentem tribueres operam, cum una cum altera arctissimo coniuncta sit vinculo, sapienti consilio a Philologis monitum est. Quod de hac, idem de aliis rebus, in quibus Romani Graecorum auctoritatem secuti videntur, dici recte potest. Apud utramque enim gentem iidem fere sunt Dii, eadem numinis reuerentia et cultus, idem Diis honos habitus. Bonarum etiam artium et disciplinarum, si quid a Romanis est cultum, Graecis, quibus philosophiae, grammatices, eloquentiae studia accepta illi referunt, est tribuendum. Quae cum sic se habeant, non mirari debes, quod, nisi graecarum litterarum haut imperitus

fueris, ne unum quidem latinum scriptorem recte possis interpretari. Sed, quod rei caput est, ipsa iuris Romani doctrina, de iuris litteris graecis imperfecta est. Legum enim quarundam origine graecarum vera vis ac ratio, nisi, si fontes, unde sunt derivatae, adieris, non intelligi potest. Quod maxime ad rei Romanae initia, ubi Graecorum instituta plurima Romae usus celebritate flourerunt, pertinere videtur. Legum igitur regiarum et decemviralium plurimae a Graecis petitae, licet, quod dolendum, temporis iniuria non integrae ad nos sint perlatae, ad interpretationem iuvandam, egent graecis luminibus. Quod in primis de XII tabularum legibus, maxima ex parte vel Athenienses vel Spartanos vel Graeciae maioris incolas auctores habentibus, si a paucis, in quibus patrii mores et ex legibus regii quaedam sunt receptae, discesseris, mihi affirmandum videtur: quarum nimirum *ἐπιμενευσις* a solo graecitatis et rei Atticae perito, iuste poterit institui. Quod cum animadvertissent Icti, primo diluculo reviviscentis seculo sexto decimo iurisprudentiae elegantioris, Draconis et Solonis leges seu *ἀξονικους νομους* et alias ex graecis auctoribus imprimis oratoribus undiquaque congestas nobis exhibuerunt. Alii vero, quorum pars, universo iuri Attico exponendo, pars singularibus eius argumentis pertractandis, pars, quod fructuosum sat erat, legibus romanis cum Atticis conferendis operam dedere, nihil aliud spectasse mihi videntur, quam, ut, cum ad ius Atticum tanquam limpidissimum iuris romani antiqui fontem recurrerent et inde genuinas harum sanctionum causas derivarent, legibus romanis interpretandis

subsidii aliquid adferrent *). Sed maiora atque graviora ex harum litterarum diligenter studio expectare licet. Adsunt enim et in foris usu celebrantur graecae leges: quarum, quanquam latina tantum versio eaque satis barbara in iudiciis auctoritate floreat, intellectus, graeco textu cognito, mirum quantum adiuuatur. Quis est autem quin videat, me de Iustiniani novellis siue *νεογραφαις διαταξαι* dicere, quae graeco sermone maximam saltem partem conscriptae, cum earum versio obscuritatis aliisque saepe laboret vitiis, ICTo optimo cuique quotidie inspiciendae sunt. Huc accedit magnus graecorum iuris nostri interpretum numerus, qui vel transferendis legibus in graecum sermonem uel explicandis, ad earum vim perspicendam operae multum contulere. Sic Institutionum libros tam accurate, ac *Theophilus*, graecus ICTus, ipsi Iustiniano aequalis, quo nemo melior deprehenditur in pluribus antiqui iuris capitibus, quibus lucem multam affudit, illustrandis legumque rationibus inuestigandis, nemo alius est interpretatus. Quid de *Harmenopulo*, auctore *τε προχειρες των νομων* atque *Psello* dicam, quorum lectione, cum puriora ab iis posita sint iuris fundamenta, ad masculam illam legum nostrarum cognitionem sine magno studio peruenire possumus. Qui seculo post. C.N. nono prodire *βασιλικων διαταξων τευχη* seu libri, iidem ipsi graece conscripti, etsi nullam legum vim auctoritatemque in causis

*) Vid. C. G. Richter'si diss. specimen animadversionum de scriptoribus iuris Attici ad I. *Alberici Fabricii* bibliothecam graecam. Lips. 1790. 4.

litibusque disceptandis habent, ad interpretationis tamen et emendationis librorum iuris novi facultatem uberrimi sunt atque utilissimi, quibus *Cuiacius* qui vivens vidensque nullo alio nuncupabatur nomine, quam hoc gloriosissimo, IURECONSULTUS, et summi quique interpretes usi, egregia ἐξηγησεως subsidia atque adiumenta habuere. Quae adhuc a me disputata sunt, etsi ad graecarum litterarum utilitatem in iurisprudencia demonstrandam iam sufficere videantur, tamen, quod multorum graecorum scriptorum imprimis ex historicorum genere diligens lectio, a quibus rerum Romanarum et legum antiquarum memoria illustratur, et a utilitate et a suavitate inde redundante commendari debet, non possum non addere. Antiquitatum enim et historiarum auxilia optime ex fontibus ut *Dionysio Halic. Plutarcho, Polybio, Herodiano, Dione Cassio* etc. et aliis qui res a Romanis gestas litteris prodiderunt, possunt peti. Quibus quamquam plura adici possent de sermonis graeci virtutibus, copia, ubertate, gravitate atque venustate, deinde de graecorum auctorum praestantia atque excellentia, quae per se ipsa quemcunque ad haec studia, ingenuo homine digna allicit atque invitat, nolui tamen facere ne, si ad humanitatem et voluptatem si ita liceat dicere, tanta verborum copia vos excitandos putarem, omnem ipse humanitatem boni pulchrique sensum in vobis desiderare viderer. Vos igitur

Vos exemplaria graeca

Nocturna versate manu versate diurna.

HORAT.

CAPUT. VI.

Linguae vernaculae operam esse a Iuris studioso dandam probatur.

Quod a scriptoribus nostrae aetatis saepius idque prudenter monitum est, ut non solas exterorum linguas studiis nostris dignas censeamus, cum vernaculo sermoni ob patriae caritatem, quae esse debet maxima, sit incumbendum, id optimo cuique, qui nihil praeclarius aut praestantius putat, quam de republica bene mereri, curae cri-
dique esse debet. Quae officii necessitas vernaculo sermoni, ut nec gravitate nec uenustate nec copia cedat ceteris, ita consulendi, si in ullum alium, certo in iuris studiosum cadit. Illius vero cultura eo magis necessaria videtur, quo eius contemptus a nostrorum temporum felicitate magis abhorret. Praeteriti quidem temporis, quantum eius memoriam repetere licet, ea fuit inhumanitas, ut eruditi, omnium aliarum rerum peritissimi, in hac hospites et peregrini deprehenderentur. Latinis enim litteris nimium fere temporis et operae ab hominibus nostris datum esse, vel hoc unum documento esse potest, quod, qui latine et romane scribebant, iidem, si quando patria lingua exponendum aliquid suscepissent, pessime scriberent. Qui tristis vernaculae linguae contemptus effecit, ut illa incomto et deformi adspectu insignis, ad quam excolendam et dotandam nemo animum adverteret, in omnium odio esset. Maluerunt enim illorum temporum viri docti, in dicendo et scribendo Ciceronem imitando.

exprimere. Quod malum omnium mentes ita occupatas tenebat, ut, cum omnium ceterarum studia florerent, una nostra lingua contempta et suorum studiis non dignata iaceret. Cuius rei exempla si quaerantur, evolvi possunt libri omnis generis hoc ineunte et anteriori seculo in publicum emissi, quos, ad quamcunque artem pertineant, non ab eruditis iisque bonarum litterarum studiosis, qui quid sit pulchrum, didicerint, profectos esse putaveris, sed ab eorum, qui omnis humanitatis exsortes, rudes et inculti torpent, lenta manu *). Latior iam medio tempore patrii sermonis cultura efloruit, cum Imperatores Romano-Germanici ipsi, ut CAROLUM MAGNUM, qui de grammatica theotisca conscribenda cogitasse dicitur, laudem, illum studiis suis dignum censerent, nec Imperatorum maiestas nec optimatum splendor et dignitas repudiaret sed omnes potius, ut bonarum litterarum, artis maxime poeticae opibus, auctus et ornatus, ceterarum linguarum antiquarum attingeret copiam atque elegantiam et pristina facie deposita, formae venustate insignis prodiret, maximo studio elaborarent. Quorum temporum felicitas cum non diu durasset, societatibus illis, quibus qui addicti erant; ab amoris pudici laudibus carminibus celebrari solitis, amoris cantores (Minnésänger) vocabantur, quorum etiã opera sermo no-

*) Fuerunt, qui adeo latinum amarent sermonem, ut si, beatos coeli incolae latine non esse locuturos, scirent, negarent se talem votis expetere beatitudinem v. *Menkenii* Charlataneria eruditorum.

ster ornamenti multum accepit, his igitur auctoritate et gloria, ut est in rebus humanis nil stabile, imminutis, imminuta est vel ipsa patriae linguae cultura tristisque barbaries iterum insecta. Nostro uero seculo, qui illius sortis pertaesi, omnem ad illam ornandam et locupletandam operam adtulere, quantum perfecerint, quis sciat quis est? Non defuere hac nostra memoria, qui, quae barbaries adhuc Ictorum libellos et scholas deturpabat, eam depellere vellent et studiosos admonerent, ut dicendi rationi stiloque puriori nec aliarum linguarum laciniis commaculato studerent. Nota sunt hac in caussa *Hommeli*, *Schotti* et *Kuppermanni* studia, quae etsi felici successu destituta non videantur, non possum tamen non etiam atque etiam vos, Iuuenes, adhortari, ne longiori via ducti ad metam serius perducamini, ad hanc linguam *αἰγιόχος* colendam et errores, qui saepius mentis aciem obtundunt, abiiciendos. Multos enim me videre memini scholasticos iuuenes, quos, ut in patria lingua bene dicendi scribendique artem sibi conciliarent, mala incesserat libido, lectitandi illius generis libros, quos vulgo Romanenses (Romane) dictos maximae utilitatis, cum ad veri pulchri et elegantiae sensum excitandum et alendum, mentemque ad humanitatem et virtutem formandam, tum ad facultatem copiose et venuste disserendi parandam, fore, erronea opinione sibi persuasere. Quorum error eo maiori studio fugiendus est, quo maius damnum ex illo, tempori bonarum et liberalium artium studiis destinato et animis morum doctrina ad virtutem colendam formandis, inferri videmus. Qua enim re, cum iuuentutis studia a ceterarum

disciplinarum gravitate avocantur, et cogitandi vis et acumen non modo non acuitur sed adeo hebetatur, animusque hac legendi cupidine abreptus, nisi quod sensus dulce afficiat et *Φαντασίων* demulceat atque deliniat, nihil expetendum censeat, nescio quid maiori calamitati rei scholasticae et omni eruditioni esse et cogitari possit. Scholarum igitur praeceptoribus, quid prius, quid antiquius esse possit, nisi, ut omni studio discipulorum animos ab harum ineptiarum curis avocent, et, ne malum latius serpat, caveant? Horum librorum lectione, non male praecipunt, qui negant iuventutem uti debere. Hac enim via si quis ad nostrae linguae rationes cognoscendas pervenire voluerit, certo parum proficiet. Alia et plane diversa ingredienda est via. Id quod maxime etiam faciendum censemus iuris cultoribus, qui, si quando in hoc litterarum genere excellere voluerint, ut dicendi elegantiam cum disciplinae suae gravitate coniungant, diligenter studere debent. Nostri vero sermonis rationes et proprietates, ut hoc verbo utar, ut pernoscantur, opera primum danda est illis, qui libris grammaticis componendis illi consulere. A grammaticorum enim praeceptis haec studia inchoanda videntur. Cuius generis librorum etsi hoc tempore magna in lucem prodiit multitudo, haut scio tamen, an solidius meliusque, quod commendetur, habeas *Adelungii* libris ex hoc genere perquam laudatis. Quibus si quis recte usus fuerit, et deinde, quae sint orationis virtutes, et quibus in rebus cernantur, probe tenuerit, auctorum teutonicorum optimi iique stili, quem dicunt, elegantia insignes, legi et in usum uerti possunt. Eloquen-

tiae igitur praecepta bene sunt addiscenda. In legendis enim auctoribus classicis non modo, quid dictum sit sed etiam quomodo, spectandum est. Qui vero sint legendi et qua ratione hoc fieri debeat, monere cum praeceptorum sit, hac opera supersedere possum. Quanta vero ex hac re redundet utilitas et imprimis in iuris cultorem, qui eorum morem improbat, qui latine loqui molunt, quam vernacula uti, non est quod pluribus declarem. De nostrae linguae antiquitate et fati eiusque in iure Germanico cum publico tum privato usu non contemnendo non dicam. Horum enim iurium cognitio, certo multum etymologiae studio iuuatur. Illud vero sufficere potest ad hanc linguam maxime colendam, quod ab omnibus laudari audias eorum Ictorum elegantiam, qui, si quae scribenda sunt uel in causis in foro agitari solitis uel extra iudicium, ita, ut oratio terminorum ex aliis linguis desumptorum obscuritate et barbarie non laboret sed puritatis, perspicuitatis et elegantiae laude conspicua sit, scribendum putant. Causarum enim patroni, qui cum iurisprudentiae et theoreticae et practicae cognitione idonea humanitatis studia coniungunt, illi ad optimos referuntur. Sed, ut theotisca lingua, ad docendas discendasque artes utilissima, latina ex Doctorum sellis deiecta atque deturbata, in docendo et scribendo de rebus ad leges vel adplicandas vel interpretandas pertinentibus adhiberetur, iam diu a nostris ICTis factum est *). Nostra

*) *Chr. Thomasius* primus in praelectionibus et programmatibus academicis germanica usus est lingua,

vero memoria cum nec fora nec ICtorum collegia domesticam aspernari soleant linguam, usui illius augendo hac etiam re multum consulitur *). Viget deinde hic sermo in Imperatoris Germanorum aula, ubi etiam consiliarii iudicii imperii aulici iubente Ordin. iud- aul. d. a. 1654 T. 1. §. 1. illius periti esse debent. Reicienda igitur est eorum morositas, ne dicam stultitia, qui hac lingua, quae etsi in varias abeat dialectos, una tamen per varias Germaniae provincias servatur, eruditorum cathedrae maculam adspergi putant et sibi persuadent, nihil esse laudandum nisi quod Classicorum auctoritate firmatum latinis litteris est proditum. Sic multi nostrorum magistrorum nunc edunt programmata teutonico sermone. Sic Chr. D. *Jani* praematura morte nobis nuper ereptus scripsit diversis programmatibus den *Schulfreund*: et D. G. I. *Hübler* libellos qui inscribuntur die Erlernung der griechischen und lateinischen Sprache nach ihrer wahren Absicht und eigentlichen Nutzen. Quid? quod *Eccius noster Vir Celeberr. et Patronus* meus aeternum mihi colendus non erubuit, quaedam programmata academica germanice meditari. Linguarum igitur studio et maxime vernaculae, aditum ad iuris disciplinam ut vobis, Iuuenis humanissimi, muniatis, auctor

cum anno 1681 Lipsiae in *Graciani vitae praecepta* commentaretur: cf. *Gessneri Isagoge* T. I. p. m. 102. sqq.

*) *Gebb. Chr. Bastineller* diss. de idiomate germanico forensi ab ICtis decenter colendo. Viteb. 1731. 4.

vobis sum. His enim disciplinis quo quis est pro-
uectior, eo clariori luce in iuris studio circum-
fundetur. De hac re satis dictum est.

CAPVT VII.

De Logices utilitate. disseritur.

In multis, quas videre mihi licuit, scholis, (ne iu-
uenes philosophicarum disciplinarum plane rudes
ad universitatem studiorum accedant, philoso-
phiae prima lineamenta prudenti consilio exmaio-
rum nostrorum instituto ducuntur. Ars igitur
logica cum metaphysicis disciplinis et morum do-
ctrina quid? quod matheseos principia, ne iuue-
nes plane ἀγνοητικοί sint, saepius docentur.
Quod, cum iuventutis saluti ea re maxime pro-
spicitur, quanquam optime est institutum, nescio
tamen culpam magistrorum an discipulorum eve-
nire soleat, ut, cum uel iusto celerius uel tardius
recitationes hae de rebus ad philosophiam perti-
nentibus absoluantur, consilio eventus non respon-
deat. Sed, ne fructus ex his litteris petendi iu-
uentuti eripiantur, quo maiores nobis ex illis spe-
rare licet, eo maiori studio prima iuuenum aetas
iis inficienda est. Quod etsi de universa valet
philosophia, cuius partes quo ordine sint propo-
nendae, aliis saepe est traditum, nolim tamen,
cum philosophicarum rerum varietas et subtilitas
a iuuenilium ingeniorum imbecillitate vix ac ne
vix quidem intelligi possit; doctorum etiam parum

philosophantium ineptitudine iuuentutis profectus saepe impediuntur, in scholis de omnibus philosophiae disciplinis agi. Sed, quanquam ab iis qui iuuenes in scholis in omnibus philosophiae partibus instituendos putant, dissenserim, certo tamen logices disciplinam, in mentis humanae viribus et virtutibus cognoscendis et veritate investiganda occupatam, non ab illis contemnendam putaverim. De dialectica vero, iuuentutis usibus apta, disputaturus, non de ea dissero, quae cum Aristotele artem verbose et sophisticè disserendi tradit sed eam, quae nostrorum philosophorum et maxime criticorum felici acumine, ab antiquitatis erroribus purgata, melius est constituta. Quae, a praeeptore non plane inepto tradita, studiis iuuenum et prae primis Themidi sacrorum, mirum quantum prodesse potest. Quod cum *Cicero*, optimus rerum aestimator, non ignoraret, artis huius, quae viam ad ceteras recte inchoandas sternit, in iuris disciplina utilitatem sic declarat. *Brut. cap. 41.* „Sic enim existimo, iuris civilis usum et apud Scaevolam et apud multos fuisse, artem in hoc uno; quod nunquam effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam praeterea didicisset artem, quae docet, rem tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explicare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera ac falsa iudicarentur, et quae quibus positae essent quaeque non essent consequentia. Nostri etiam iuris interpretes, cum, quid et quantum in iuris scientia *ICTI* antiqui romana huius artis opore perfererint, intellexissent, illi in usum iuris vertendae multam operam dedere. Quorum conatus

quanquam eruditorum desiderijs nondum satis fecerint, satis tamen de logicis vi cum in omnes disciplinas tum maxime in iuris artem testantur *). Quae cum versetur in hominis mente cognoscenda et inquirat in eius vires, et in ea quae cogitamus seu *ideae* earumque varietatem rerumque rationes et partes inuenire doceat et omnem veritatis inueniendae modum, Icto, cuius ars saepe continetur in definitionibus et distinctionibus uel tradendis uel iudicandis, non potest non esse saluberrima. Quae quam vera sint, nemo melius videt, nisi iuris romani cultor, qui veterum iuris studiosorum **) in definitionibus ex arte componendis solertiam magnopere admiratur-etimitatur. Hinc nostri, illorum auctoritate et exemplis moniti, multum perfecerunt in hermeneutica iuris romani, quae dicitur ***). Alii totum iuris romani *συνημια* definiendo et distinguendo exposuerunt ****). Hac igitur arte et omnihus ceteris, quae ab humanitate nomen sunt sortitae, iuueneshumanissimi quique nihil antiquius

*) Sic scripsit I. *Ulr. de Cramer* primas lineas logicae iuridicae. Ulm. 1761, ut de aliis nihil dicam.

**) I. W. *Hoffmann* de dialectica veterum Ictorum. Prof. ad Moen. 1734.

***) F. *Hozomanus* Iuris Consultus siue de optimo genere iuris interpretandi 1589. 12. p. m. 41. sqq.

****) L. A. *Würfeli* Iurisprudentia civilis definitiva, quam annotationibus auxit I. H. C. de *Selchow* Francf. 1768. 8. ut de *Ludovico et Möllero* qui de iuris feudalis distinctionibus scripsit, nihil dicam.

habeant. Illae enim sunt instrumenta et ornamenta eruditionis, illiusque gravitati et lucem et decus et gratiam conciliant singularem, uberri-
mosque fructus in omnibus rebus humanis ferunt. Quod uel de arte poetica affirmare possum, in qua, etsi in opinionum dissensione aliis ea nihil videatur inutilius, aliis nihil divinius, in omnibus eruditionis partibus nec non in arte nostra praesidii plurimum est. De poeseos vero vi in animos hominum et mores dicere, cum nec huius loci nec temporis sit, id unum moneo, quod iuris romani solidiorem notitiam expetentes ex poetarum latinorum assidua lectione, quod in suum usum conuertant, multum capere possint *). Omitto, quod *Homerus* in quibusdam legum nostrarum locis laudatus, et ab Ictis romanis maxime habitus, apud nostros etiam multum auctoritate floret. Antiquos vero poetas, Ennium, Terentium, Virgilium, Horatium, etc. eorumque commentatores, saepius, ueterem memoriam et iuris uetustatem illustrare inter omnes, ni fallor, constat. Quod de illis, idem maxime de *Plauto*, ex quo, quantum haurire possis, *Heineccius* in antiquitt. monstravit, valere mihi videtur. Huius igitur ceterorumque lectionem assiduam, ex qua, quae ad vitam civium romanorum priuatam et disciplinam domesticam, ad actuum voluntariae iurisdictionis expediendorum rationem illustrandam et multos antiquos ritus pertinent, multa depromi possunt, ita ut

*) cf. Aurel. de Ianuariol. l. p 339.

maiori studio fieri nequeat, commendandam censeo.

CAPUT VIII.

Iuuentus in scholis studiosa legibus operam duram manducatur ad cognitionem encyclopaedicam universae eruditionis et imprimis Iurisprudensiae.

Multis, quibus quidem, cum ad studiorum universitatem accesserunt, de iuris studio, sed de illius rationibus et modo illius bene instituendi, parum constat, hoc accidere, solet, ut, viae, qua incedendum, ignari, non solum non multum proficiant sed etiam ut, quae addiscunt, non solide percipiant. Perversa nimirum, cum, qui errantes meliorem in viam reducat, raro adsit, ratione utuntur, et saepius, quae posteriori loco erant discenda, iis, quae priora esse debebant, praemittunt; eas vero disciplinas, quae ceteris adjuncto sunt et ornamento uel plane deserunt, uel iusto serius, et nulla animi contentione attingunt. Etsi uero video, fore, qui, cum, cuique tironi et Iustinianistae recitationes in iuris encyclopaediam atque methodum patere putent, nec esse, cur in scholis primae iuris lineae ducantur, cum haec alibi utilius et doceri et disci possint, a mea sententia discrepent, illis quidem facile largior, doceri modum instituendi iuris studii atque illius positiones tradi, illud tamen, quod saepe expertus confirmo, certissimum est, recta non semper et plerumque a iuuentute con-

D

sillii inope incedi via, et multis illis lectionibus, quibus intersint, non opus esse, sibi persuadere. Quod exinde fit, quod qui academiarum scholas adeunt novi, ut ita dicam, homines, studiorum instituendorum consilia ab iis, qui diutius adfuere petentes horum auctoritate atque opera, ne mentione quidem injecta antiquitatum et historiae iuris cum encyclopaedia audiendarum, statim ad Institutionum et Pandectarum Doctores ablegari solent: quo fit, ut qui rationem bene studendi, si ita mihi dicere licet, commendant, a paucissimis audiantur. Quod quam parum e re publica sit, per se quisque videt. Iuris igitur studioso in scholis, si fieri potest, iuris rationes sunt percipiendae, ut non temere, quod ne in sellulariis quidem et illiberalibus artibus prudenter fit, homines ad vitae genus gravissimum plurimumque et laboris et ingenii requirens, quod, quale sit et quomodo comparatum, nesciant, sese conuertant. Quod non fieret, si in Lyceis et Gymnasiis discipuli, priusquam ad altiora discederent, ut, partim de ingenii viribus, aptaene sint ad illa, nec ne, partim de idonea iuris studii methodo iudicare possent, de disciplinarum suscipiendarum vi et qualitate edocerentur *). Quod

*) In omnibus enim disciplinis, quae altiores audiunt priusquam aggrediare, addiscenda mihi videtur ea, quam *encyclopaedicam* dicunt. Quam in rem, cum *Sulzeri* libellus perquam notus non sufficiat, neminem legisse poenitebit *Bublii* librum sic inscriptum: *Grundzüge einer allgemeinen Enzyklopaedie*. Berl. 1790, 8.

quin fieri possit, cum ea nostrorum temporum est felicitas, ut scholarum plurima pars eruditissimorum magistrorum corona fulgeat, qui nolunt, eruditionem suam nimis angustis theologiae finibus terminari sed universae eruditionis ambitum cognoscere cupiunt, ego certe non video. Si quaedam vero subsidia a doctoribus ad conciliandam sibi horum studiorum idoneam cognitionem requiruntur, ea in promptu adesse videmus. Quod si factum fuerit, fore, ut crescat iuris disciplina, augeatur et ornatur, iustam spem animo concepi. Ac de his quidem satis dictum est. De me tandem, plura non addam. Pro se quisque iuuet rempublicam litterariam; meliores litteras scrutetur, augeat; et si quis, quid tua refert, dicat, quid tu in scena? fateor, debebant alii, quibus plus aetatis et iudicii. Ego in iunioribus sum et loco posteriori. Sed liceat uel mihi doctissimorum virorum legere vestigia et aliquot aristas ex optima illa messe inde colligere. Mea consilia, rectane sint et apta, an non, alii me sapientiores iudicent. Si quis rectiora noverit, cum, candidus ut impertiat, rogatum volo, si non, his mecum utatur. Omnes autem lectores,

— omnes vos oratos uolo

*Ne plus iniquum possit quam aequum oratio,
Facite, aequi sitis: date crescendi copiam.*

